



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio V. Explicantur & concordantur Propositiones quædam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

auxilii, quod prævidetur eventum habiturum. Quando autem dicimus non admisisse illos prædestinationem, id ita accipiendum est: non admisisse illos Prædestinationem, quæ sit speciale Dei beneficium, ut aliàs notatum est.

IBIDEM sub medium putant Semi-Pelagiani sequi ex sententia Aug. quod reprobis, *Nolle justitiam, inevitabili necessitate conjunctum sit.* Quia autem & nos admittimus decretum reprobativum, sequitur potuisse Semi-Pelagianos objicere nobis, quòd & per nos reprobat, nolle Justitiam, inevitabili necessitate conjunctum sit.

IBIDEM sub finem. *Quidquid, inquit, libet, donatum sit prædestinatis, id posse & admittere & retinere propriâ voluntate, contendunt.* Per nos autem non quidem ex prædeterminativa prædestinatione, sed ex selectiva auxilii, non potest prædestinationis donum amitti. Unde admittimus prædestinatos quandam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint, ex suppositione, (ut dixi) consequenti, non autem prædeterminativâ, cum hæc lædat libertatem.

LITERA M. *Et illud pariter non accipiunt (Semi-Pelagiani) ut eligendorum rejiciendorumque esse numerum definitum velint.* Per nos autem definitus est numerus.

COLLIGES ex hac collatione particulatim facta, doctrinæ Semi-Pelagianorum & nostræ, immeritò nobis affingi communionem sentienti, & nominatim loquendo, circa prædestinationem & finalem perseverantiam. In hoc ab illis distinguimur, quia præter bona opera requirimus decretum Dei prædestinativum, nec requirimus universaliter voluntatem perseverandi. Nam infantes & adulti qui non sunt sui compotes, perseverant, & perseverantia non est alligata illorum voluntati, multò magis non est alligata tantum operibus ex gratia factis in vita, cum multi deterrimi totâ vitâ, postea salventur, & aliqui totâ vitâ boni, sub finem delinquant & damnentur, debet ergo aliquid altius intervenire, & hoc est prædestinationis beneficium. Si autem requiritur decretum prædestinativum, falsum erit, quidquid libet donatum sit prædestinatis, id posse illos & amittere & retinere propriâ voluntate.

QUÆSTIO V.

Explicamur & concordantur Propositiones quædam.

PRÆCINDENDO ab hoc, in quocumque tandem stet efficacia gratiæ, veniunt explicandæ aliquæ propositiones materiam præsentem concernentes.

I. PROPOSITIO. *An possit poni causa remota, eaq. infallibiliter inferens effectum, & tamen salvâ libertate.* Est propositio quam tuetur utraque Schola Thomistica & Nostra in parte. Thomi-

stica à fortiori: quia per illam etiam prædeterminatio, quæ est causa proxima adferendo infallibilitatem, non auferit libertatem, ex nostris etiam aliqui idèò dicunt scientiam conditionatam, & prædefinitiones non auferre libertatem, quamvis adferant infallibilitatem, quia sunt causæ non nisi remotæ, assumuntque ulterius, quòd ea quæ adferunt infallibilitatem, sed sunt priora non nisi subsistendi Consequentia, non autem prioritatem physicâ non auferant libertatem. *Hæc Doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia, quod habet prioritatem physicam respectu futuritatis effectus, & eam infallibilem ita ut oppositum non possit fieri auferit libertatem. Ergo & id quod habet infallibilitatem non nisi Logicam, infallibilem tamen auferit libertatem. Cujus ulterior Ratio hæc est. Quia prioritas illa Logica debet fundari in aliquo objectivo vero, adeoque objectiva infallibilitate, consequenter fundabitur in aliquo æquivalente prioritati physicæ. Tum quia hoc ipsum probari debuit, quòd causa remota adferendo antecedentem infallibilitatem, non mutet modum operandi potentia saltem remotæ, qui ipse medius terminus in hoc stat. Definitio libertatis non dicit, quòd politis causis proximis possit sequi, vel non sequi effectus. Ergo etiam causa remota, debet esse talis, ut illa etiam polita, possit non sequi effectus. Tum quia per Nostros, si prædestinaremur inconsulta nostra libertate, auferetur libertas, quamvis illud decretum esset per modum causæ remotæ; & sicut ignitio ut communiter dicitur, non solum requirit causas proximas, sed & remotionem impedimentorum etiam remotorum, ita & libertas. Potius ergo debet dici. Scientiam, prædefinitionem, aliaque quæ dicuntur esse causæ remotæ, idèò non auferre libertatem, quia in sua infallibilitate innituntur exercitio conditionato libertatis, nec sunt causæ necessariae ad operandum.

2. PROPOSITIO est. *Gratia efficax infallibiliter etiam antecedenter ad Consensum est operatur. Et Voluntas humana liberè adeoque indifferentem gratia efficaci operatur.* Hæc duæ propositiones debent concordari.

RATIO, quia videntur esse contradictoria. Nam una asserit indifferentiam alia infallibilitatem. Concordant hoc Thomistæ, quia efficacia decretorum divinatorum, non tantum adstringit ad operationem, sed & ad modum operandi liberè, relinquitque in sensu diviso, positum oppositi. Nostri autem concordant dictas propositiones: quia infallibilitas illa est ex suppositione effectus, indifferentia autem oritur, quia procedit effectus à causis expeditis ad utrumlibet, non ergo ratione ejusdem habetur indifferentia & infallibilitas, consequenter non contradictoriè dicti termini opponuntur.

ADDO, duas illas propositiones non debere

reji-

rejici, non debet rejici. Prima. Quia si gratia efficax antecederet ad consensum non esset operatura, hoc ipso, non esset efficax, in quocunque tandem stet ejus efficacia, ut notum ex explicatione hujus termini. Secunda etiam propositio non debet rejici: quia voluntas humana liberè operatur cum gratia efficaci.

3. PROPOSITIO. *Gratia efficaci resisti potest, Gratia efficax non potest unquam frustrari suo effectu.* Concordandæ sunt hæc duæ propositiones. Quia si gratia efficax non potest frustrari suo effectu, quomodo illi resistere possum? Cum posse resistere, sit illud, posse frustrari. Modus concordandi has propositiones est, quod scilicet gratia efficaci secundum suppositionem antecedentem resisti possit, & quod gratia efficax ex suppositione Consequenti, non possit frustrari suo effectu. Thomistæ autem concordant dictas propositiones. Quod gratia efficiens sensu composito resisti non possit, possit in sensu diviso.

ADDO. Duas illas propositiones non debere rejici. Non Primam. Quia desumitur ex Tridentino. Non Secundam. Quia est secundum phrasim dictam ex Augustino: Deo efficaciter salvare volenti, nullum humanum resistere potest arbitrium.

Cæterum sunt aliqui qui respuunt illos terminos suppositionis antecedentis, & suppositionis consequentis: quia omnis suppositio dicit antecedentiam, adeoque suppositio antecedens erit antecedentia antecedens, & suppositio consequens, erit antecedentia non antecedens. Sed hæc est Grammatica difficultas. Theologi enim nomine suppositionis antecedentis accipiunt suppositionem in Causa, & nomine suppositionis Consequentis, accipiunt suppositionem petibilem ex securitacione effectus. Unde in priori acceptione non repetitur idem bis, nec in posteriori, contradictorii termini ponuntur.

4. PROPOSITIO. *Solus Deus est Causa gratia efficaci. Est positum in voluntate humana, ut gratia oblata, sit gratia efficax.* Hæc propositiones debent concordari.

RATIO. Quia si positum est in voluntate humana ut gratia oblata, sit efficax. Ergo non solus Deus est causa illius. Modus autem concordandi dictas propositiones, est. Solus Deus est causa gratia efficaci. Quia solus Deus est causa virium inclusarum in gratia efficaci. Et solus est causa selectionis auxilii efficaci. Ly ergo solus positum in prima propositione, excludit potestatem dandi vires & eligendi auxilium prævisum efficax, sed non excludit in creatura Dei gratia, adjuta, vim ponendi connotati requisiti ad rationem efficaciis; est n. in potestate creaturæ elevata, ponere objectum selectionis, hocq; sensu salvari potest 2da propositio. Prima autem propositio vera est. Quia sc. gratia efficax

in recto dicit vires agendi, quæ à solo Deo ponuntur, quod autè attinet ad connotatum: quia illud ponitur non nisi virtute Dei elevantis, sit ut tribui Deo debeat, sine addito efficacia. Rursus, quia efficacia, sine actuali selectione auxilii prævisi efficaciis, perinde se habet, ac collatio auxilii non nisi sufficientis, nec haberet rationem doni, conferretur enim à Deo nesciente, an sit habitura eventum. Selectio autem unice pendet à Deo. Deniq; quia in gratia efficaci, quidquid à solo Deo non causatur, non causatur etiam, ut inquit nostri communiter, ab ullo alio simpliciter: Nam neq; conditionatus consensus causatur à nobis sine concursu Dei conditionato. Secunda etiam Propositio verificatur his sensibus ut jam innui: quia scilicet est in potestate humana consentire gratia, ponere connotatum &c.

5. PROPOSITIO. *Necessaria est gratia efficax ad absolutum consensum. Non est necessaria gratia efficax ad absolutum consensum.* Pro veritate prioris, hæc est ratio, quia habet se per modum principii ad operationem, & illa posita sequitur absolutus consensus, & non posita non sequitur, qui ergo non est necessaria ad consensum. Pro veritate secundæ Propositionis, hæc faciunt: quia aliàs carens gratia efficaci, careret aliquo necessario, adeoque sine illa operari non posset, quod dici non potest. Hinc rectè prior illa Propositio negari posset, & si quis illam concordare cum posteriori vellet, diceret gratiam efficacem secundum rationem virium esse necessariam ad absolutum consensum, licet non sit necessarium illius connotatum, & quamvis illa non posita non sequatur effectus, sufficit quod sequi possit.

6. PROPOSITIO. *Gratia efficax quæ efficax non causat consensum.* Hæc Propositio in principiis Thomistarum est falsa, aliqui eam ex nostris concedunt, quia consensus conditionatus non est causa sui ipsius, sumendo tamen efficaciam prout aliquid dicit de linea agendi præcisè, sic gratia efficax quæ efficax, causat consensum, licet non quæ infallibilis, cum etiam infallibilitatis non sit, agere.

7. PROPOSITIO. *Consensus conditionatus antecedit absolutum. Consensus conditionatus non antecedit absolutum.* Prior vera, si sumatur de antecedentia Logica. Falsa, si procedat de antecedentia physica & reali: conditio enim nihil ponit in rebus. Nec conditionatum objectum, physicè & realiter antecedit, seipsum absolutè positum. Secunda autem propositio est vera, si procedat de antecedentia physica, falsa si procedat de antecedentia Logica. Unde antecederet ad statum physicum formaliter spectata illa propositio est actu vera non nisi in Dei intellectu, objectivè autem non est actu vera nisi fundamentaliter. Sicut in principiis nostris, homo est animal rationale, hæc propositio

fitio est actu vera formaliter ab æterno in intellectu divino, in se autem spectata, non est actu vera, sed fundamentaliter. Unde quando dicimus Nos, priorem esse consensum conditionatum absoluto, nolumus significare quasi aliquid ab æterno posuerimus, quamvis ab æterno non fuerimus; sed solum volumus significare, quod ex parte objecti prior sit subsistendi Consequentia, præ statu absoluto, status conditionatus, & quod divinus ordinatissimus intellectus, in priori signo noscat consensum conditionatum, in posteriori absolutum.

Reliquæ Propositiones:

8. PROPOSITIO. *Supposito consensu etiam conditionato, potest non consentire aliquis in statu absoluto. Et supposito consensu conditionato, non potest non consentire aliquis in statu absoluto.* Hæc secunda propositio est vera secundum suppositionem consequentem, falsa secundum suppositionem antecedentem, prior etiam propositio, etsi hoc sensu sit vera: quia suppositio conditionata consensus, non adfert secum ullum principium necessitativum consensus, nec ponit intrinseca principia ad consensum absolutum ponendum necessaria: non enim immutat concursum divinum, nec voluntatem nostram indifferentem. Rursus consensus conditionatus non est causa consensus absoluti, hinc suppositio conditionati consensus, non est suppositio causæ, ut non possit nisi operari, consequenter potest adhuc non esse consensus absolutus, etiam ex suppositione consensus conditionati. Unde ulterius posset homo dissensu absoluto efficere, ne unquam fuerit vera suppositio consensus conditionati: nihil enim desideratur quominus possit ponere dissensum absolutum; dissensus item absolutus potens est facere, ne præ fuerit suppositio conditionati consensus. Cæterum ex suppositione consequenti non potest non esse consensus. Ratio. Tum quia consensus conditionatus in his circumstantiis est idem cum consensu absoluto, statu enim non nisi differunt. Ergo si hic & nunc vera est suppositio consensus conditionati, non potest ille non esse ex suppositione consequenti; nec potest etiam non esse consensus absolutus, utpote idem cum conditionato. Tum quia, si ex suppositione consensus conditionati, etiam secundum suppositionem accepti, potest non esse consensus. Ergo verificarentur duo Contradictoria, nempe est suppositio consensus conditionati ut supponitur, non est suppositio consensus conditionati ut probatur: quia quomodo esset verum, consentiret si vocaretur vocatione B, quando actu vocatus vocatione B non consentit. Tum quia, quamvis antecedit consensus conditionatus absolutum, antecedit tamen illum non sine nexu cum absoluto: non enim potest esse maior nexu cum quoquam, quam ejusdem se-

cum, idem autem est consensus conditionatus, eum absoluto ut dictum supra, non diceret autem nexum cum se absolute futuro: Si posito consensu conditionato, poneretur dissensus absolutus: Nam consensus non connectitur, sed disconnectitur cum dissensu.

9. PROPOSITIO. *Supposito consensu etiam conditionato, potest Deus nolle ne sit absolutus.* Quæ propositio in sententia Thomistarum vera: quia potest adhuc Deus negare pro statu absoluto prædeterminationem. In nostris etiam principiis est eadem propositio vera: quia non in norem Deus, habet libertatem respectu nostri consensus, quam nos respectu nostri. Ergo si nos possumus non consentire pro statu absoluto, etiam supposito consensu conditionato, poterit Deus velle, etiam in illa suppositione, ne sit consensus absolutus.

Cum hoc tamen stat, quod supposito consensu conditionato, non sit Deus voliturus nolle consensus absolutus. Ratio, quia in ipso consensu conditionato creaturæ involvitur etiam volitio Dei conditionata, quæ ex suppositione sui ad se, infert, quod Deus non sit oppositum pro statu absoluto voliturus.

Prædictis duabus Propositionibus est affinis hæc. *Supposito consensu conditionato non potest homo impedire ne sit scientia conditionata consensus.* Et potest impedire ne sit. Utraque propositio est vera diverso sensu. Prima, quia scientia divina, est quid necessarium, immanens Deo, quomodo ergo pendeat, à libera dispositione humana, cum ne Deo quidem liberum sit scire aliquid, supposito quod detur objectum illius scientiæ. Secunda Propositio etiam est vera per Nos. Unde inter alios Borrull, discurrens de directione scientiæ conditionatæ dicit num. 853. in manu nostra constitutum est, ne faciat ea directio.

RATIO autem veritatis hujus propositionis est, quia pro statu absoluto etiam supposito consensu conditionato, secundum suppositionem antecedentem, potest non poni assensus, sed dissensus, consequenter etiam impediri potest ne sit objectum conditionatum verum, adeoque ne noscatur à Deo ut verum, impediturque scientiæ objecto impeditur & ipsa, cum non possit esse sine suo objecto.

Concordari debent dictæ propositiones, ut prima sit vera secundum suppositionem consequentem. Secunda, secundum suppositionem antecedentem. Unde ulterius dici potest, quod scientia conditionata pendeat non tantum à consensu conditionato, sed etiam ab absoluto, licet enim consensus absolutus non sit objectum illius, habet tamen nexum cum conditionato. Imprimis, quia isti consensus sunt idem in re. Deinde, si pro statu absoluto habeo potestatem ut non consentiam, habeo etiam potestatem ut sit falsa conditionata, consentiam

rem *Si*, adeoque ne sit consensus illius scientia; quia illa non est notitia falsi: & hoc fundat nexum scientia conditionata cum effectu absoluto. Ceterum ex rationibus supra factis, nunquam sum impediturus ne sit scientia conditionata, supposito quod fuerit.

Sed de hac impeditione Scientia conditionata, solvenda sunt objectiones, quarum meminerunt Auctores.

DICES 1. Scientia conditionata fuit ab aeterno, quod autem existit ante me, impediti non potest a me, ne fuerit: Nihil enim possum operari antequam sim.

RESPONDETUR. Quod ab aeterno existit non est quidem impediendum a me ne sit, potest tamen impediti ne fuerit: quia licet non possim operari antequam sim, sufficit tamen quod possim operari quando sum: possum autem impedire obiectum scientia conditionata quando sum, licet non sim impediturus. Deinde obiectum scientia conditionata fuit ab aeterno non quomocunque sed dependenter a suppositione consensus mei, & quia hac ipsa suppositio consensus ne fuerit ab aeterno, est pro statu absoluto in potestate mea, sit ut pro eodem statu, sit potestas impediendi ne fuerit illa scientia.

INSTABIS. Scientia visionis non esset a me impediibilis si non dependeret a meo consensu absoluto. Ergo cum scientia conditionata non dependeat a consensu absoluto, neque impediibilis est.

RESPONDETUR. Scientiam conditionatam pendere a consensu absoluto non tanquam ab obiecto, sed tanquam ab aliquo connexo, eodemque realiter, cum consensu conditionato.

DICES 2. Si ego possum meo dissensu impedire scientiam conditionatam consensus, possem quoque meo consensu comparare scientiam conditionatam consensus, hoc non potest fieri: quia non possum determinare Deum ad scientiam conditionatam consensus: si enim meo consensu determinarem Deum ad scientiam mediam consensus, etiam Deus ponendo auxilium cum praescientia futuri peccati, me determinaret ad peccatum: quia sicut conjunctio mei consensus cum auxilio est connexio infallibilis cum scientia media, ita positio auxilii conjuncta cum scientia conditionata peccati, est connexio infallibilis cum peccato. Ergo si ego determino Deum, ut habeat scientiam consensus, ita & Deus determinabit ad peccatum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia ita determinabit meus consensus scientiam Dei,

ut illi praesupponatur, totaque ratio cur formaliter haec potius noscatur pars, est meus consensus, licet ratio elicitive, Actus noscendi, tota sit in Deo; jam autem non probatur, totam rationem, quare sit futurum peccatum exinde oriri: quia Deus dat auxilium praeviendo fore peccatum cum illo; cum potius praevideat illud ex praesuppositione futuritionis ejusdem.

DICES 3. Suo consensu non potest hoc comparare voluntas, quod necessario praesupponitur ad illam, scientia autem media consensus necessario praesupponitur ad consensum: tribuimus enim illi directionem collationis auxilii pro statu absoluto.

RESPONDETUR. Scientiam mediam praesupponi quidem ad consensum absolutum, sed non ad consensum conditionatum, unde quia praecedit consensum absolutum potest dirigere collationem auxilii efficacis pro statu absoluto, quia tamen ipse consensus absolutus ex dictis est in mea potestate, etiam post illam directionem, cum ille consensus absolutus sit idem cum consensu conditionato, etiam post illam directionem erit in potestate ne praefuerit consensus conditionatus, seu obiectum illius scientia directiva, adeoque ne fuerit & ipsa directio, consequenter ut non fuerit praesupposita illa scientia. Directe ergo ad Majorem respondetur. Suo consensu non potest hoc comparare voluntas, quod necessario praesupponitur ad illam, & quidem tanquam non connexum cum eo, quod situm est in nostra potestate. Concedo quod illud voluntas suo consensu comparare non possit. Si illud necessario praesuppositum sit connexum cum eo quod dependet a nostra potestate, non potest illud comparare voluntas. Nego.

INSTABIS. Scientia media non potest esse posterior positione auxilii, nihil enim juvaret positionem illius. Ergo vel concomitans est, vel antecedens. Si est antecedens positionem auxilii; Ergo & consensus. Si est comitans; Ergo existit in eodem signo cum auxilio. Signum autem in quo auxilium existit, est necessario antecedens. Ergo & signum in quo existit scientia.

RESPONDETUR. Quod scientia conditionata antecedit positionem auxilii absolutam, & positionem consensus absoluti, sed non quomocunque. Sed ex dictis, tanquam aliud connexum cum consensu absoluto. Unde scientia media erit tantum posterior positione auxilii conditionate operaturi.